



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem epistola ad VVilhelmum Archiepiscopum Remensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

EIVSDEM EPISTOLA  
ad Vvillum Archiepiscopum Remensem.

Circa an.  
1170.

Svo Domino Remensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato Nicolaus suus quod suus. Confiteor tibi, Pater, quia peccavi in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus, nisi tua dignatio reducat indignum. Indignus est enim qui beneficium non advertit, sed avertit faciem suam à benefactore suo, indignus pariter & ingratus. Ingratitudo ventus urens, siccans misericordiæ fontem, absorbens flumina gratiarum. Talis ego, & talia quæ paravi. Tuille Remensis cujus remigio navis Gallicanæ Ecclesiæ procellosissima loca secura persulcat. Recepti me infra sacrarium tuæ familiaritatis; quæ ad recipiendum rara est, ad retinendum constantissima. Non facile se indulget nisi cui se noverit indulgendum, & hoc morosiori deliberatione. Scriptum est enim: Semper est nobilis familiaritas perniciofa, & post longam deliberationem & turpis. Dum autem quis receptus fuerit, non est deceptus, factus acceptus illi apud quem in hac parte non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Non habet apud te susurro locum; detractor non apparet, sciens quia subito adspici sit deprehendi. Rex qui amat verba susurri, ait sapiens, omnes ministros habet impios. Nemo tibi ministrat in ministerio isto, cùm præclari & magni viri his diebus credulitatis vitio fascinentur, non attendentes aut non curantes quod scriptum est: Qui citò credit, levis est corde. A tanto & tali tantillus & talis & taliter susceptus sum ut me mihi surriperet in benedictionibus suis. Ego autem quid feci? Multi dies evoluti sunt quòd nec vidi eum nec scripsi ei, cùm & muta caritas repræsentet spe-

ciem non amantis, & conspectus habeat aliquid vi-  
væ voluptatis quam mortui apices nequeunt experi-  
ri. Excusabo me de difficultate itineris, de longin-  
quitate regionis, quæ est inter Remensem urbem &  
Arremarenses Ecclesiam. Sed iter breve est & via  
plana, & plena in circuitu multitudine amicorum  
meorum. Dicam quia negotiosus fui, ut quatuor  
dierum spatio me ipsum mihi ipsi furari non possem.  
Nimirum homo magnus occupatus est in magnis. Sed  
quis hoc dixerit? Apud profectò instrumentum for-  
mica plaustrum trahens. Adiciam quia licentiam  
veniendi habere non potui, cùm vadam & veniam,  
eam & redeam tota die. Hæc dicerem si ita essem  
sub potestate constitutus ut mei ipsius potestatem  
habere non possem. Sublatum est omne patrocinium  
excusandi ad excusandas excusationes in peccatis.  
Non est nisi ut veniam petam, & accedam ad pedes  
ejus qui novit parcere subjectis & debellare super-  
bos. Quem humilis agnum, sublimis invenit ele-  
phantem, apponet ut complacitior sit adhuc. Non  
continebit in ira sua misericordias suas. Cùm viderit  
servum suum, miserebitur ejus; quoniam multus  
est ad ignoscendum, cùm ad cognoscendum pecca-  
tum meum ultroneum videat & paratum. Hæc, Do-  
mine Pater, locutus sum ut sentias, quia etsi tu ita  
non sentis, ego tamen ita sentio in me ipso. Inter  
jocunda enim mea, Domine venerabilis, nihil mihi  
tua dilectione jocundius aut æquè jocundum. Tanto  
enim de illa lætior sum quanto & certior sum quòd  
non deesset mihi in oportunitatibus in tribulatione.  
Sit beneplacitum ante te ut relitteres mihi quando  
Remis post octavas Paschæ tuam potero reveren-  
tiam invenire, & videam mihi desideratam faciem  
tuam.

